

# **Historiarum libri quattuor**

Nithardus

## Liber primus

Cum, ut optime, mi domine, nosti, iam paene annis duobus illatam a fratre vestro persecutionem vos vestrique haudquaquam meriti pateremini, antequam Cadhellonicam introissemus civitatem, praecepistis, ut res vestris temporibus gestas stili officio memoriae traderem. Opportuna quidem placidaque res, fateor, fuerat praecepta, si otium tanti negotii, ut digne exsequeretur, fuisset concessum; nunc autem, si quod minus vel incultius, quam oportuerit pro rerum magnitudine, huic operi inveneritis insertum, tanto facilior venia a vobis vestrisque mihi debetur, quanto me nostis eodem turbine, quo et vos, dum hoc opus peregerim, esse agitatum. Praeterire autem ea quae temporibus pii patris vestri gesta sunt disposueram sed facilius cuilibet legenti altercationum vestrarum veritas patebit, si quaedam, quae suo in tempore contigisse novimus, summotenus praelibavero. Avi quoque insuper vestri venerandam memoriam per omnia obmittere ratum minime videtur; ac per hoc textus hinc sumat exordium.

1. Karolus bonae memoriae et merito Magnus imperator ab universis nationibus vocatus, [hora videlicet plus minus diei tertia] in senectute bona decedens omnem Europam omni bonitate repletam reliquit, vir quippe omni sapientia et omni virtute humanum genus suo in tempore adeo praecellens, ut omnibus orbem inhabitantibus terribilis, amabilis pariterque et admirabilis videretur, ac per hoc omne imperium omnibus modis, ut cunctis manifeste claruit, honestum et utile effecit. Nam super omne, quod admirabile fateor fore, Francorum barbarorumque ferocia ac ferrea corda, quae nec Romana potentia domare valuit, hic solus moderato terrore ita repressit, ut nihil in imperio moliri, praeter quod publicae utilitati congruebat, manifeste auderent. Regnavit feliciter per annos duos et XXX imperiique gubernacula nihilominus cum omni felicitate per annos quattuordecim possedit.

2. Heres autem tantae sublimitatis Lodhuwicus, filiorum eius iusto matrimonio susceptorum novissimus, ceteris decedentibus successit. Qui ut pro certo patrem obisse comperit, Aquis ab Aquitania protinus venit; quo undique ad se venientem populum absque quolibet impedimento suae dicioni addixit, de ceteris, qui sibi creduli videbantur, deliberaturus. Initio quidem imperii suscepti pecuniam ingenti numero a patre relictam trifariam dividere iussit et unam partem causa funeris expendit, duas vero inter se et sorores suas a patre iusto matrimonio susceptas divisit, quas et instanter a palatio ad sua monasteria abire praecepit. Fratres quoque adhuc tenera aetate, Drugonem, Hugonem et Teodericum, participes mensae effecit, quos et in palatio una secum nutriri praecepit, et Bernardo nepoti suo, filio Pippini, regnum Italiae concessit. Qui quoniam ab eo paulo post defecit, capitur et a Bertmundo Lugdunensis provinciae praefecto luminibus et vita pariter privatur. Hinc autem metuens, ne post dicti fratres populo sollicitato eadem facerent, ad conventum publicum eos venire praecepit, totondit ac per monasteria sub libera custodia commendavit. Quo peracto filios suos iusto matrimonio iunxit et universum imperium inter eos ita divisit, ut Pippinus quidem Aquitaniam, Lodhuwicus autem Baioariam, Lodharius vero post discessum eius universum imperium haberet, cui et una secum imperatoris nomen habere concessit. Interea Irmengardis regina materque

illorum decessit, ac paulo post Lodhuwicus imperator Iudith in matrimonium sumpsit, ex qua Karolus creatur.

3. Karolo quidem nato, quoniam omne imperium inter reliquos filios pater diviserat, quid huic faceret, ignorabat. Cumque anxius pater pro filio filios rogaret, tandem Lodharius consensit ac sacramento testatus est, ut portionem regni quam vellet eidem pater daret, tutoremque ac defensorem illius se fore contra omnes inimicos eius in futuro iurando firmavit. Instigante autem Hugone, cuius filiam in matrimonium Lodharius duxerat, ac Mathfrido ceterisque, sero se hoc fecisse paenituit et, quemadmodum illud quod fecerat annullare posset, quaerebat. Quod patrem matremque minime latuit; ac per hoc hinc inde quod pater statuerat Lodharius diruere, etsi non manifeste, occulte studebat. Ad quod Bernardum quendam, ducem Septimaniae, pater in supplementum sibi sumens camerarium constituit Karolumque eidem commendavit ac secundum a se in imperio praefecit. Qui dum inconsulte re publica abuteretur, quam solidare debuit penitus evertit. Per idem tempus Karolo Alamannia per edictum traditur. Tum tandem Lodharius quasi iusta querimonia reperta tam fratres quam et universam plebem veluti ad restaurandum rei publicae statum animabat. Quam ob rem pariter cum omni populo patri ad Compendium superveniunt, reginam velaverunt, fratres eius Cunradum et Rodulfum totonderunt atque in Aquitaniam servandos Pippino commiserunt. Bernardus quoque fuga lapsus in Septimaniam se recepit; Eribertus frater eius captus ac luminibus privatus in Italia custodiendus traditur.

Et Lodharius quidem, eo tenore re publica adepta, patrem et Karolum sub libera custodia servabat; cum quo monachos, qui eidem vitam monasticam traderent et eandem vitam illum assumere suaderent, esse praeceperat. Res autem publica, quoniam quisque cupiditate illectus sua quaerebat, cotidie deterius ibat. Quam ob rem tam monachi, quos supra memoravimus, quam et ceteri, qui quod factum fuerat dolebant, illum percontari coeperunt, si res publica eidem restitueretur, an eam pro viribus erigere ac fovere vellet, maximeque cultum divinum, quo omnis ordo tuetur ac regitur. Quod quia facile confessum, in restauratione eius ocius consensum est; assumptoque Guntbaldo quodam monacho sub specie religionis in hoc negotio ad Pippinum Ludovicumque, filios eius, occulte direxit, promittens, si in sua restitutione una cum his qui hoc cupiebant adesse voluissent, regnum utrisque se ampliare velle. Ac per hoc perfacile cupideque parvare; conventuque condicto regina et fratres eius eidem restituuntur, ac plebs universa dicioni eius se subdidit. Hinc hi qui cum Lodhario senserunt in concilium deducti et ab ipso Lodhario ad mortem diiudicati aut vita donata in exilium retrusi sunt. Lodharium quoque sola Italia contentum ea pactione abire permisit, ut extra patris voluntatem nihil deinceps moliri in regno temptaret. Cumque se haec ita haberent, et res publica paululum respirari videretur, confestim Guntbalduus monachus, quem supra memoravimus, quia multa in restitutione eius laboraverat, secundus in imperio esse volebat; quod quoniam Bernardus, uti praemissum est, olim fuerat, summa industria iterum esse certabat. Pippinus quoque et Lodhuwicus, quamquam eis regna, sicut promissum fuerat, aucta fuissent, tamen in imperio ut post patrem primi essent, uterque laborabat; at illi, per quos tunc res publica tractabatur, voluntati eorum obsistebant.

4. Per idem tempus Aquitania Pippino dempta Karolo datur, et in eius obsequio

primatus populi, qui cum patre sentiebat, iurat. Quod quidem hi, quos supra rettulimus, graviter ferentes, ut res publica inutiliter tractaretur, divulgant populumque quasi ad iustum regimen sollicitant; Walanam, Elisachar, Mathfridum ceterosque, qui in exilium retrusi fuerant custodia emittunt; Lodharium, ut rem publicam invadat, compellunt; insuper autem et Gregorium Romanae summae sedis pontificem, ut sua auctoritate liberius quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie magnis precibus in supplementum suae voluntatis assumunt. Quam ob rem imperator una cum omni quod habebat imperio, tres reges filiique eius adversus eum cum ingenti exercitu, insuper papa Gregorius cum omni comitatu Romano Elisazam confluunt iuxtaque montem Sigwaldi castra ponunt ac variis affectionibus populum, ut a patre deficeret, filii compellunt. Novissime quibusdam fuga lapsis, cum perpauca pater capitur; uxor ab eo dempta in Langobardiam exilio mittitur, ac Karolus una cum patre sub magna custodia servatur. Gregorius siquidem papa itineris paenitudine correptus tardius quam vellet Romam revertitur.

Et Lodharius quidem iterum eo tenore imperium adeptum quod iniuste tam facile iterato obtinuit, iterato facilius iuste amisit. Nam Pippinus et Lodhuwicus videntes, quod Lodharius universum imperium sibi vindicare iliosque deteriores efficere vellet, graviter ferebant; insuper autem, dum Huc, Lambertus atque Mathfridus, quis illorum secundus post Lodharium in imperio haberetur, ambigerent, dissedere coeperunt et, quoniam quisque eorum propria quaerebat, rem publicam penitus neglegebant. Quod quidem populus cernens molestus erat. Occurrebat insuper etiam filiis verecundia et paenitudo, quod patrem bis honore privaverant, universae plebi, quod bis imperatorem dimiserant, ac per hoc hinc inde in restitutione eius consentiunt et undique ad Sanctum Dionysium, ubi tunc Lodharius patrem et Karolum servabat, affluere contendunt. Cernens Lodharius praedictam animositatem vires suas excedere, antequam conveniant, arma sumit, patrem ac Karolum dimittit itinereque arrepto Viennam petit. Plebs autem non modica, quae praesens aderat, et iam iamque Lodhario pro patre vim inferre volebat rege recepto basilicam sancti Dionysii una cum episcopis et omni clero confluunt, laudes Deo devote referunt, coronam et arma regi suo imponunt et ad cetera deliberaturi contendunt. Lodharium pater persequi distulit, sed legatos, qui eum citra Alpes festinare iuberent, post illum direxit; Pippinum ad se venientem benigne excepit, gratias in eo, quod pro sua restitutione laboraverat, egit ac reverti eum in Aquitaniam, uti petiverat, permisit. Hinc inde fideles, qui evaserant et rem publicam regere consueverant, confluunt; cum quibus itinere arrepto Aquis hiematum petit, tandemque Lodhuwicum venientem gratanter excepit, quem et una secum causa praesidii esse praecepit. Interea hi qui Iudith in Italia servabant audientes, quod Lodharius fugam inierat, et pater imperium regebat, arrepta Iudith fugam ineunt, Aquis prospere perveniunt, gratum munus imperatori deferunt. Verumtamen haud est toro regio recepta, donec se criminibus obiectis innoxiam, quia criminator deerat, sacramento una cum propinquis coram plebe effecit.

5. Per idem tempus Mathfridus et Lambertus ceterique a parte Lodharii penes marcam Britannicam morabantur. Ad quos pellendos missus est Uodo et omnes inter Sequanam et Ligerem degentes, qui manu valida collecta hinc atque inde convenerunt. Et hos quidem paucitas ac per hoc summa necessitas unanimes effecit, Uodonem autem et suos maxima multitudo securos, discordes et inordinatos reddidit.

Quapropter proelio commisso fugerunt. Cecidit Uodo et Odo, Vivianus, Fulbertus ac plebis innumera multitudo. Quod quidem citato cursu victores Lodhario notantes mandant, ut, quantocius posset, illis cum exercitu occurrat. Qui libenter paruit et Cavillonum collecta manu valida venit, civitatem obsidione cinxit, proeliando triduum obsedit et tandem urbem captam una cum ecclesiis incendit. Gerbergam more maleficorum in Ararim mergi praecepit, Gozhelmum et Senilam capite punivit, Warino autem vitam donavit et, ut se deinceps pro viribus iuvaret, iure iurando constrinxit. Hinc autem Lodharius et sui duobus proeliis feliciter gestis magnanimes effecti, universum imperium perfacile invadere sperantes, ad cetera deliberaturi Aurilianensem urbem petunt. Quod pater audiens e Francia manu valida collecta, insuper Lodhuwico filio suo cum universis, qui trans Rhenum morabantur, in auxilium sibi assumpto tantum facinus a filio in imperium commissum vindicaturus perrexit. Lodharius quoque eadem spe, qua Francos abducere consuevit, animatus ire obvius raturum duxit; ac per hoc hinc inde confluunt, supraque fluvium iuxta villam quae Calviacus dicitur castra ponunt. Sed Franci, eo quod imperatorem bis reliquerant, paenitudine correpti et, ut deinde tale quid committerent, turpe iudicantes ad defectionem impelli dedignati sunt; quam ob rem cum nec fuge nec proelii locum videret, ea pactione novissime proelium diremit, ut infra dies statutos Alpibus excederet ac deinceps sine patris iussione fines Franciae ingredi non praesumeret et extra patris voluntatem in eius imperio deinceps nihil moliri temptaret. Quod et ita se et suos servaturos tam is quam et sui sacramento firmaverunt.

6. Eis ita compositis pater, uti et cum quibus consueverat, imperium regebat. Videns autem, quod populus nullo modo diebus vitae suae illum relinquere, uti consueverat, vellet, conventu Aquis hieme indicto portionem regni his terminis notatam Karolo dedit: Id est a mari per fines Saxoniae usque ad fines Ribuariorum totam Frisiam et per fines Ribuariorum comitatus Moilla, Haetra, Hammolant, Masagouwi, deinde vero quicquid inter Mosam et Sequanam usque Burgundiam una cum Viridunense consistit et de Burgundia Tullensem, Odornensem, Bedensem, Blesensem, Pertensem, utrosque Barrenses, Brionensem, Tricasinum, Autisioderensem, Senonicum, Wastinensem, Milidunensem, Stampensem, Castrensem, Parisiacum et deinde per Sequanam usque in mare Oceanum et per ipsum mare usque in Frisiam, omnes videlicet episcopatus, abbatias, comitatus, fiscos et omnia infra praedictos fines consistentia cum omnibus ad se pertinentibus, in quacumque regione consistebant et sui iuris esse videbantur, una cum auctoritate divina atque paterna praefato filio suo Karolo dedit, firmumque ut permaneret, Dei omnipotentis clementiam exoravit. Hilduinus autem abbas ecclesiae sancti Dionysii et Gerardus comes Parisius civitatis ceterique omnes praedictos fines inhabitantes convenerunt fidemque sacramento Karolo firmaverunt. Quod quidem Lotharius et Lodhuwicus audientes graviter ferebant, unde et colloquium indixerunt. Ad quod venientes, cum nihil ex his indignari se posse viderent, callide dissimulantes quippiam se contra patris voluntatem moliri velle, discesserunt; verumtamen ob id colloquium commotio non modica exorta est, sed facile quievit. Hinc autem Carisiacum mediante Septembrio venit seditionemque quandam similiter perfacile sedavit ac praefato Karolo arma et coronam nec non et quandam portionem regni inter Sequanam et Ligerem dedit, Pippinum ac Karolum, ut videbatur, unanimes effecit ac deinde Pippinum in Aquitaniam abire cum gratia permisit, Karolum vero in partem regni,

quam illi dederat, direxit. Quo veniens, omnes hos fines inhabitantes ad illum venerunt et fidem sacramento commendati eidem firmaverunt.

Eodem tempore nuntiatur, quod Lodhuwicus a patre suo descivisset et quicquid trans Rhenum regni continebatur sibi vindicare vellet; quod pater eius audiens indicto conventu Magonciacum venit ac traiecto exercitu fugere illum in Baioariam compulit. Post Aquis exsultans rediit, quoniam, quocumque se verterat, nutu divino victor erat. Verumtamen ingruente senili aetate et propter varias afflictiones paene decrepita imminente, mater ac primores populi, qui in voluntate patris pro Karolo laboraverant, metuentes, si infectis rebus decederet, odia fratrum usque ad interneccionem sibi insurgere, ratum duxerunt, ut quemlibet e filiis pater in supplementum sibi assumeret, et, si post discessum eius ceteri concordem esse nollent, saltem hi duo unanimes effecti valerent resistere invidorum factioni. Cumque necessitate instante ac per hoc assiduis meditationibus in hac electione versarentur, universorum sententia consensit, si Lodharius certum se in hoc negotio praebere vellet, cum eo foedus iniri debere. Nam, uti praemissum est, idem olim patri matrique ac Karolo iuraverat, ut partem regni quam vellet pater eidem daret, et eandem se consentire et protegere illi contra omnes inimicos omnibus diebus vitae suae deberet. Quam ob rem missos deligunt et in Italiam ad Lodharium mittunt promittentes, si patris voluntatem deinceps erga Karolum conservare vellet, omnia, quae in illum hactenus deliquerat, remitti et omne regnum absque Baioaria inter illum et Karolum dividendum; quae quoniam Lodhario et suis rata videbantur, utraque ex parte sic velle ac sic se perficere iuraverunt.

7. Ergo ad urbem Vangionum conventu indicto convenerunt; in quo Lodharius humillime ad pedes patris coram cunctis procidit dicens: 'Novi me coram Deo et te, domine pater, deliquisse; non regnum, sed indulgentiam et, ut gratiam tuam merear, quaeso'. Idem autem ut pius ac clemens pater et delicta postulanti indulset et gratiam roganti concessit, eo scilicet pacto, ut deinceps nihil quolibet modo contra suam voluntatem nec in Karolum nec in regnum alicubi egisset. Dein benigne illum excepit ac deosculans gratias Deo pro filio, quem aversum reconciliaverat, egit. Ad prandium deinde conversi sunt, in crastinum de ceteris, quae sui iuraverant, deliberaturi. Die autem altera concilium ineunt. Hinc pater, ut sui iuraverant, perficere cupiens: 'Ecce, fili, ut promiseram, regnum omne coram te est, divide illud, prout libuerit. Quod si tu diviseris, partium electio Karoli erit; si autem nos illud diviserimus, similiter partium electio tua erit.' Quod idem cum per triduum dividere vellet, sed minime posset, Iosippum atque Richardum ad patrem direxit deprecans, ut ille et sui regnum dividerent, partiumque electio sibi concederetur; insuper vero in ea fide, quam illis iuraverant, testati sunt, quod pro nulla re alia nisi sola ignorantia regionum id peragere differret. Quam ob rem pater, ut aequius valuit, regnum omne absque Baioaria cum suis divisit; et a Mosa partem australem Lodharius cum suis elegit, quin immo et accepit, occidentalem vero, ut Karolo conferretur, consensit et una cum patre coram omni populo ita se velle adnuntiavit. Hinc autem pater fratres, prout valuit, unanimes effecit, rogans ac deprecans, ut invicem se diligerent, et ut alter ab altero protegeretur, adhortans exorat et quod fieri desiderat optat. Quibus peractis benigne et pacifice Lodharium in Italiam ditatum remissionis gratia ac regni muneribus remittens, sacramenta, quae saepe iuraverat, quotiens in illum deliquerat, quotiens delicta eidem donaverat, in memoriam reducens ac piis visceribus monens

contestabatur, ne saltem id, quod tunc novissime peregerant, coramque cunctis ita se velle confirmaverat, frustrari quolibet modo permittat.

8. Eodem tempore, ut Pippinus decessisset, pater nuntium acceperat; et pars quaedam populi, quid avus de regno vel nepotibus iuberet, praestolabatur; pars autem arrepto filio eius Pippino, quia natu maximus erat tyrannidem exercebat. Quapropter his ita, ut praefatum est, cum Lodhario perfectis, collecta manu valida per Cavillonem Clarum-montem una cum Karolo ac matre pater petit ac partem populi, quae illum praestolabatur, inibi benigne recepit. Et quoniam olim regnum Aquitaniae Karolo donaverat, ut illi se commendarent, hortando suasit, iussit. Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmaverunt. Post quod, quomodo tyrannos compesceret, contendit. Per idem tempus Lodhuwicus a Baioaria solito more egressus Alamanniam invasit cum quibusdam Toringis et Saxonibus sollicitatis; quam ob rem pater eius ab Aquitania revocatus, dimisso videlicet Karolo una cum matre eius Pictavis, ipse vero sanctum pascha Aquis celebravit et sic uno eodemque itinere Toringam petiit. A qua Lodhuwico filio eius pulso, per Sclavos itinere redempto eum in Baioariam fugere compulit. Quo peracto Kal. Iulii ad Vangionum urbem conventum indixit, ad quod Lodharium filium suum ab Italia venire praecepit, cum eo ceterisque sibi credulis de Lodhuwico deliberaturus. Cumque se haec ita haberent, et Lodharius in Italia, Lodhuwicus trans Rhenum, et Karolus in Aquitania esset, Lodhuwicus imperator paterque illorum in insula quadam iuxta Magonciatum XII. Kal. Iulii obiit; quem Drogo frater et episcopus atque archicapellanus eius Mettis civitate sua apud Sanctum Arnulfum una cum episcopis, abbatibus comitibusque congruo honore sepulturae tradidit. Vixit per annos IIII et LX, rexit Aquitaniam per annos VII et XXX, imperiale vero nomen per annos VII et XX et per annos VII et XX et per menses sex obtinuit.

## Liber secundus

Explicitis pro tempore ac viribus dissensionum vestrarum initiis, e quibus quique lector scire cupiens, quam ob rem post obitum patris vestri Lodharius vos fratremque persequi statuerit, decernat, colligat et, si iuste egerit, cognoscat, hinc iam, qua virtute ac industria hoc exsecutus sit prout memoria viresque suppleverint, notare curabo. Vos vero difficultates, quae ex eadem molestia parvitati meae obstiterint, inspicere depono et, si quid in hoc opere neglexero, ut ignoscatis, quaeso.

1. Audiens Lodharius patrem suum obisse confestim nuntios ubique, praesertim per totam Franciam mittit, qui se venturum in imperium, quod olim fuerat illi datum, affirmant, promittens unicuique honores a patre concessos se concedere et eosdem augere velle. Dubios quoque fidei sacramento firmari praecepit; insuper autem iussit, ut, quantocius possent, obviam illi procederent, nolentibus vero capitale supplicium ut praediceretur, indixit ipse autem pedetemptim, quo se res verteret, antequam Alpes excederet, scire volens processit. Ergo cupiditate terroreque illecti undique ad illum confluunt; et hoc cernens spe viribusque magnanimis effectus, quibus artibus universum imperium liberius invadere posset, deliberare coepit. Lodhuwicum quoque quoniam itineri suo contiguum esse prospexit, ut primum in illum manum mitteret, ratum duxit et, ut eundem viribus adnullaret, operam omni virtute adiecit. Interea ad Karolum in Aquitaniam legatos callide dirigens mandat se erga illum, sicuti pater statuerat, et sicut erga filiolum ex baptismo oportebat, benevolum esse, verumtamen ut nepoti suo, filio Pippini, donec cum eo loqueretur, parceret, deprecatus est. Et his ita compositis ad urbem Vangionum iter direxit. Eodem tempore Lodhuwicus partem exercitus inibi causa custodiae reliquerat et Saxonibus sollicitatis obviam illis perrexerat. Quam ob rem Lodharius parvo conflictu custodes fugere compulit, Rhenum cum universo exercitu transiens Franconofurth iter direxit. Quo insperate hinc Lodharius, inde Lodhuwicus confluunt, paceque sub nocte composita alter inibi, alter vero, quo Moin in Rhenum confluit, castra haud fraterno amore componunt. Cumque Lodhuwicus viriliter resisteret, et Lodharius illum absque proelio sibi subigere diffideret, sperans Karolum facilius superari posse, ea pactione proelium diremit, ut III. Idus Novembris eodem loco rursum conveniant et, ni concordia statutis interveniat, quid cuique debeat, armis decernant; et his ita omissis Karolum sibi subigere contendit.

2. Per idem tempus Karolus Bituricas ad placitum, quo Pippinum sui iuraverant venturum, venerat. Qui quidem ex omnibus nuntio recepto missos, videlicet Nithardum et Adelgarium, delegit et, uti ocius valuit, ad Lodharium direxit, mandans ac deprecans, ut memor sit sacramentorum, quae inter se iuraverant, et servet, quae inter illos pater statuerat; insuper etiam fraternae filioli conditionis meminerit; haberet sua sibi et, quod illi pater suo consensu concesserat, absque conflictu illum habere permittat; promittens, si hoc faceret, fidelem se illi et subiectum fore velle, ita ut primogenito fratri esse oporteret. Insuper etiam quicquid hactenus in illum deliquerat pollicitus est se ex corde remittere, deprecatus, ne amplius suos sollicitet, ne regnum sibi a Deo commissum perturbet. Cederent undique paci atque concordiae, et hoc se sua suorumque ex parte ratum videre ac per hoc conservare



velle mandavit; quod etsi alter hoc ita esse non crederet, quocumque vellet modo ex his illum certum se efficere promisit. Quae quidem Lodharius simulans se benigne suscipere legatos tantum salutationis causa redire permisit ac per suos se responsurum de ceteris esse respondit. Insuper etiam, quoniam ad ipsum se vertere frustrata fide noluerunt, honoribus, quos pater illis dederat, privavit; ita, quid fratri facere cogitaret, nolens indicium dabat. Interea omnes inter Mosam et Sequanam degentes ad Karolum miserunt mandantes, ut, antequam a Lodhario praeoccuparentur, veniret, adventum eius se praestolaturos promittentes. Quam ob rem cum perpaucis Karolus hoc iter accelerans ab Aquitania Carisiatum venit et a Carbonariis et infra ad se venientes benigne suscepit. Extra vero Herenfridus, Gislebertus, Bovo ac ceteri ab Odulfo decepti, firmatam fidem neglegentes, defecerunt.

3. Eodem tempore missus ab Aquitania venit nuntians, quod Pippinus cum his qui parti suae favebant super matrem Karoli irruere vellet; ac per hoc Karolus Francos inibi omittens mandat, si illos frater suus, donec reverteretur, opprimere vellet, obviam sibi procederent. Insuper ad Lodharium Hugonem, Adelhardum, Gerhardum et Hegilonem direxit, cunctaque, quae tunc nuper illi mandaverat, replicans nec non et pro Deo deprecatus est, ne suos sibi subtrahens regnum, quod Deus paterque suo consensu illi dederat, amplius dissipet. Et his ita compositis in Aquitaniam festinus perrexit superque Pippinum et suos irruens fuga illos abire compulit. Per idem tempus cum Lodharius a Lodhuwico reverteretur, et omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosa traiecta ratum duxit, ut Sequanam usque procederet. Quo dum tenderet, Hilduinus abbas Sancti Dionysii et Gerardus comes Parisii civitatis a Karolo deficientes fide frustrata ad illum venerunt. Quod quidem Pippinus filius Bernardi regis Langobardorum ceterique cernentes elegerunt potius more servorum fidem omittere, iuramenta contemnere, quam ad modicum tempus facultates relinquere, ac per hoc fide relicta quos supra memoravimus secuti eidem se dederunt. Hinc quoque Lodharius magnanimis effectus Sequanam excessit, praemittens more solito, qui ad defectionem inter Sequanam et Ligerem degentes partim minis, partim blanditiis subducerent. Ipse quoque, uti consueverat, lento itinere subsecutus Carnutenam civitatem tendebat. Cumque Teodericum, Ericum et hos qui illum sequi deliberaverant ad se venturos didicisset, spe multitudinis suae fretus, Ligerem usque ut procederet, deliberavit; Karolus quoque a fuga, qua Pippinum et suos disperserat, reversus et, quoniam, matrem ubi tuto relinqueret, non habebat, pariter ad Franciae partes properabant.

4. Audiens autem Karolus interea, quod hi omnes, quos supra memoravimus, ab eo defecissent, et Lodharius cum ingenti exercitu persequi illum usque ad internecionem statuisset, hinc autem Pippinus et hinc Brittones infesti erant, quid facerent, concilium convocant, ineunt deque his omnibus deliberaturi, facile consilium perfacile inventum est. Et quoniam nihil praeter vitam et corpora reliquum habebant, elegerunt potius nobiliter mori quam regem proditum derelinquere. Quam ob rem obviam Lodhario pergunt, atque Aurilianensem urbem hinc inde petunt. Castra ponunt distantes ab invicem plus minus leuwas VI, legatos invicem dirigunt; et Karolus quidem sola iustitia pacem petebat, Lodharius vero, quo astu absque proelio illum decipere ac superare posset, operam dabat. Quod cum peragere strenue resistentibus diffideret, sperans vires suas, uti coeperant, cotidie accrescere, quam,

cum Karolo decrevissent, facilius illum subiugari posse arbitrabatur. Hac autem spe deceptus ea pactione proelium diremit, ut cederet Karolo Aquitania, Septimania, Provincia et decem comitatus inter Ligerim et Sequanam, eo videlicet modo, ut his contentus interim inibi esset, donec Atiniacum VIII. Id. Maias conveniant; quasi quidem communi consensu utrorumque utilitatem praevidere ac statuere velle promisit. Primores quoque partium Karoli cernentes negotium vires suas excedere maximeque timebant, ne forte proelio commisso in tanta paucitate regem suum salvare difficile possent - erat enim spes cunctis non modica indolis eius -; quam ob rem statutis eo tenore consentiunt, ut deinceps Lodharius Karolo ita fidus amicus sit, sicut frater per iustitiam fratri esse debet, et regna, quae illi deputabat, quietam habere faceret ac interim super Lodhuwicum hostiliter ire dedisset; aliter autem iure quod iuraverant absoluti esse deberent. Qua quidem arte et regem suum a periculis subtrahunt et se mox a sacramento absolvunt. Nam antequam idem, qui haec iuraverant, domo egrederentur, aliquos ex his qui aderant subducere ab illo temptavit et in crastinum quosdam suorum recepit. Insuper et in regna, quae illi deputaverat, statim direxit et, in quantum potuit, ne illi se subderent, perturbavit et, ut e Provincia ad se venientes exciperet, perrexit et, quemadmodum Lodhuwicum dolo an vi superare posset, intendit.

5. Interea Karolus Aurilianensem urbem veniens Teotbaldum et Warinum cum quibusdam e Burgundia ad se venientes gratanter ac benigne excepit. Hinc autem obviam Bernardo, sicut mandaverat, Nivernensem urbem petit. Sed Bernardus more solito ad illum venire distulit dicens se cum Pippino suisque sacramento firmasse, ut neuter absque alterius consensu cum quolibet quodcumque pactum inire deberet; quam ob rem testatus est ad illos se ire velle, et si efficere posset, ut una secum sui devenirent, bene; sin aliter, soluto iuramento infra dies quindecim ad illum reversurum suaeque dicioni se commissurum esse promisit. Quam ob rem Karolus Bituricas iterum obviam illi venit. Quo Bernardus veniens cum neutrum fecisset, graviter Karolus ferens seductiones, quas patri fecerat et hactenus illi faciebat, timens, ne aliter illum comprehendere posset, subito in illum irruere statuit. Sed hoc Bernardus, quamquam tarde, praesensit, fugam iniit ac vix evasit. Karolus autem quosdam e suis stravit, quosdam saucios ac semivivos reliquit, quosdam saucios ac semivivos reliquit, quosdam vero illaesos cepit ac more captivorum custodiri praecepit, suppellectilem autem universam diripere permisit. Hinc quoque Bernardus humilior effectus paulo post supplex ad Karolum venit, dicens et fidelem se illi fuisse et tunc, si liceret, esse voluisset, et deinceps, quamquam hac contumelia affectus esset in futurum fore minime diffideret; quod etsi quilibet aliter dicere vellet, armis se hoc propulsurum promittit. Quibus Karolus credulus effectus ditatum muneribus et gratia in societatem amicitiae suscepit et, ut Pippinum ac suos, uti promiserat, subditos sibi efficere temptaret, direxit.

Et his ita compositis Cenomannicam urbem adiit Lantbertum Ericumque una cum ceteris recepturus. Cumque ille illos inibi perhumane reciperet, protinus ad Nomenoium ducem Britanniorum mittit scire cupiens, si suae se dicioni subdere vellet. Qui adquiescens consiliis plurimorum Karolo munera mittit ac sacramento fidem deinceps servandam illi firmavit. Quibus peractis, quoniam tempus placiti, quod Attiniacum condixerant, appropinquare videbatur, quid consulte ac solida fide sibi suisque agere oporteret, Karolus anxius erat. Ergo participes secretorum

convocat, rem omnibus notam replicat ac, quemadmodum a tanta calamitate congruentius se suosque exui posse existimarent, ut aperiretur, deposcit; seque in omnibus publicae utilitati et parere velle, insuper etiam, si oporteret pro ea mortem subire, minime differre fatetur. Quibus cum undique vires crevisse viderentur, reminiscentes insidiarum, quas Lodharius temporibus patris sui patri et Karolo inferre studuerat, quas etiam post obitum patris fratribus suis absque remedio struebat - occurrebant insuper sacramenta, quae tunc nuper fefellerat -, aiebant se omnem iustitiam ab eo libenter consequi velle, sed his indiciis nil boni sperare posse; idcirco sibi undique consultum videri, quocumque modo posset, ad condictum placitum venire minime differret; quodsi frater suus, uti promiserat, communem utilitatem quaerere ac statuere vellet, hoc omnibus notis placere et, ut gratanter reciperetur, congruum esse; sin aliter, fretus iustitia ac per hoc auxilio divino suorumque fidelium et, quicquid regni pater suus amborumque fidelium consensu illi dederat, obtinere omni virtute non neglegat.

6. Ergo omnes Aquitanos, qui suae parti favebant, una cum matre post se venire praecepit, insuper, quicumque e Burgundia nec non et inter Ligerem et Sequanam sui iuris esse vellent, similiter fecit. Idem autem ipse una cum his qui per praesens aderant, quamquam difficile videretur, praefatum iter arripuit. Cumque Sequanam venisset, repperit Guntboldum, Warnarium, Arnulfum, Gerardum nec non et omnes a Carbonariis et infra comites, abbates, episcopos, ob hoc videlicet a Lodhario inibi relictos, ut si absque suo consensu transire vellet, minime posset. Accedebat insuper, quod amnis inundans vada ubique denegaverat, custodes autem fluminis omnes naves aut contriverant aut certe submerserant, Gerardus quoque pontes, quoscumque repperit, destruxit. Igitur supra modum transitus difficilis effectus non modicam transire cupientibus importabat molestiam. Cum autem tot difficultatibus animi multimodis agitentur consiliis, tandem mercatorum naves ab ostio, quo Sequana mare influit, ferventi aestu abductae propterque Rotomacensem urbem expositae nuntiantur. Quo veniens harum duas minus de XXXta Karolus armato milite complet, idemque ingressus praemittit, qui se venturum praenuntient, unicuique volenti delicta cedens, nolentibus autem, ut habeant regnumque a Deo sibi datum illi relinquunt. Quae dum sprevisent, classisque appropinquare videretur, crucem, in qua iuraverant, et Karolum ut cognoverunt, relicto litore protinus fugerunt. Quos, quoniam in traiciendo equi moram fecerant, consequi nequibat, ad Sanctum Dionysium laudis obsecrationisque causa iter direxit; quo veniens comperit, quod hi, quos fuga disperserat, in unum una cum Arnulfo et Gerardo ceterisque coissent et super Teutbaldum, Warinum, Otbertum ceterosque. qui, uti mandatum fuerat, ad Karolum veniebant, irruere vellent. Quam ob rem ad Sanctum Germanum causa orationis perrexit ac per totam noctem iter faciens aurora delucescente, ubi Luva Sequanae confluit, Warinum cum sociis salvum recepit. Ac sic uno eodemque itinere Senonicam adiit urbem. Hinc noctu consurgit per Uttam iter faciens speransque, uti nuntiatum illi fuerat, quos supra memoravimus in eodem saltu consistere; disposuerat enim, ubicumque et qualitercumque posset, supra illos irruere. Quod et utique fecisset, nisi sollicitis vitae mors imminens pro foribus nuntiaretur; quam ob rem paene cuncti supra modum exterriti, quo quisque valuit, fugam iniit; quos quoniam Karolus consequi non potuit sociis equisque fessis, cenam Domini quieti indulgens Tricasinorum civitatem in crastinum adiit.

7. Eodem tempore, dum haec quae praemisimus a Karolo exsequerentur Lodharius, uti praefatum est, dolo an vi Lodhuvicum aut subdere aut, quod mavult, perdere posset, tota mente tractabat. In quo negotio congrue Otgarium Magontiae sedis episcopum et Adhelbertum Metensium comitem convocat; habebat enim uterque Lodhuvicum ad mortem usque exosum. Iam enim Adhelbertus ex infirmitate, qua paene per annum detentus fuerat, velut in supplementum fratricidii respiraverat; erat enim eo in tempore ita prudens consilio, ut sententiam ab eo prolatam non quilibet mutare vellet. Cuius instinctu Lodharius collectam hinc inde infinitam multitudinem Rhenum traiecit, praemittens more solito qui minis blanditiisque pendulam plebem subducere temptarent. Timens autem populus, qui cum Lodhuwico erat, ne tantum exercitum ferre valeret, partim defecti ad Lodharium transeunt, partim fugam ineunt ac Lodhuvicum desolatum relinquunt. Qui, quoniam omne suffragium aliud undique deerat, cum perpaucis abiit et in Baioariam se recepit. Quod quoniam Lodhuwico contigit, minime deinceps Lodharius aliquid illum praevalere putavit. Igitur Adhelbertum ducem, quem supra memoravimus, ob hoc inibi reliquit, ut et populum sacramentis sibi firmaret, et, si Lodhuwicus ad Karolum ire vellet, nullo modo posset. Ipse vero, quoniam Karolum Sequanam transire reppererat, obviam ire parabat. Velociter quidem praemittit rei veritatem, ubi et cum quibus esset, scire cupiens, Aquis pascha celebraturus.

8. Mira sane ac merito notanda res Karolo in eodem sancto sabbato contigit. Nam neque ipse nec quilibet in suo comitatu quicquam absque quod corpore gerebant et absque armis et equis habebant; cumque de balneo quidem egrederetur et eadem vestimenta, quae exuerat, induere pararet, repente ab Aquitania missi pro foribus adstiterant, qui coronam et omnem ornatum, tam regium quam et quicquid ad cultum divinum pertinebat, ferebant. Quis non miretur paucos et paene ignotos viros tot terrarum spatia, dum ubique omnes rapinae insisterent, tot talenta auri gemmarumque infinitam multitudinem ferre illaesos valuisse? Et, quod maxime mirandum fateor fore, qualiter ad definitum locum vel certe ad statutam diem et horam venire poterant, cum nec idem Karolus, ubi se suosque oporteret, sciebat. Quem quidem eventum haud aliter quam munere ac nutu divino visum est evenire potuisse; ac per hoc commilitonibus stuporem iniecit omnesque maximam ad spem salutis erexit. Hinc vero Karolus cunctaque cohors exsultans ad festa celebranda sese convertit. Expleto autem quod ceperat, missos Lodharii benigne excipiens convivari una secum praecepit; quibus et, ut in crastinum redirent, iniunxit, per suos se responsurum de eo, quod frater suus illi mandaverat, promittens. In legatione vero Lodharii quaerebatur, cur absque suo consensu terminos, quos illi statuerat, excederet; et, quia fecerat, saltem, ubicumque illum reperirent, mandat, ut interim eo loco quiescat, donec illi mandaretur, si ad statutum locum an alio, ubi congruentius illi videretur, venire deberet. Karolus per suos econtra se ob hoc statutos terminos excessisse respondit, quoniam de omnibus bonis sua ex parte illi promissis ac iure iurando firmatis nihil stabile esse permisit. Nam suorum hominum ultra quod firmatum fuerat sollicitatos quosdam suo iuri adiecit, quosdam vero vita privavit, insuper regna, quae subiecta illi efficere debuit, in quantum valuit, perturbavit et, quod maximum est, in fratrem hostiliter irruit nec non et suffragium a paganis illum quaerere compulit. Verumtamen, quamquam se haec ita haberent, in conventum, quod communi consensu statuerant, venire se velle mandavit; ubi si communem utilitatem, uti

promiserat, quaerere ac statuere vellet, sibi placere; sin aliter, de regno, quod Deus paterque suus suorum consensu illi dederat, consiliis suorum fidelium in omnibus secundum Dei voluntatem parere se innotuit. Et his ita compositis idem iter arripuit atque ad praefatum locum pridie quam convenerat praevenit. Quo quidem Lodharius veluti ex consulto venire distulit, verumtamen missos variis querimoniis refertos frequenter mittebat et, ne forte ex improvise Karolus supra illum irruere posset, cavebat.

9. Interea legati a Lodhuwico venerant nuntiantes, quod, si sciret, quomodo fieri posset, in illius adiutorium venire vellet. Quo se Karolus et indigere respondit, gratias congruae voluntati egit et, ut hoc accelerare studerent, protinus praefatos missos remisit. Cumque quattuor vel eo amplius dies inibi adventum Lodharii praestolaretur, et ille venire differret, contionem advocat, concilium iniit, quidnam consultius deinceps illi agendum videretur, deliberaturus. Quidam autem aiebant, quoniam mater sua una cum Aquitaniis veniebat, obviam illi ire debere; sed maxima pars aut obviam Lodhario iter arripere suadebant, aut certe, ubicumque vellet, adventum illius praestolari debere dicebant; ob hoc quidem maxime, quoniam, si quoquo modo aliorum iter flectere coepisset, cuncti fugam illum inisse iactarent, et hinc Lodharium et suos audentiores fieri debere, atque hi, qui adhuc causa timoris neutri se copulaverant, ad illum affluere undique sperabant; quod et evenit. Nam, quamquam difficile, praevaluit tamen sententia priorum; quam ob rem Cadhellonicam Karolus adiit urbem, ibique matre una cum Aquitaniis recepta repente nuntiatur, quod Lodhuwicus cum Adhelberto duce Austrasiorum proelio commisso vicisset Rhenoque trajecto ob illius adiutorium, quantocius posset, veniret. Quod cum ocuis universis castris omnibus notum fieret, cuncti alacri animo, ut illi obviam irent, suadebant.

Lodharius quoque ut haec ita se habere deprehendit, circumfusae plebi Karolum fugam inisse persequique illum, quantocius posset, velle denuntiat; quo quidem nuntio fidos sibi alacriores reddidit, dubiis autem quibusque et affluendi audaciam iniecit et firmiores suae parti reddidit. Cumque Karolus a Lodhario persequi se didicisset, quoniam in difficili loco aquis paludibusque circumfuis castra posuerant, ut absque qualibet difficultate, si Lodharius vellet, congregari possent, protinus obviam illi perrexit. Quae quidem Lodhario ut nuntiata sunt, castra posuit ac veluti fessis equis biduo requiem dedit. Iterato itaque cum haec eadem fecissent missosque invicem frequenter mitterent, sed nihil proficui deliberare possent, tandem appropinquantes Lodhuwicus et Karolus conveniunt deque his omnibus in eodem conventu, quae Lodharius absque quolibet moderamine erga se suosque saeviebat, dolendo conferunt, quidve deinceps agendum opportunius videretur, in crastinum deliberaturi. Aurora siquidem delucescente conveniunt, concilium ineunt, in quo multum de tanta calamitate conquirunt. Cumque alteruter, quae quantave et qualia passi a fratre fuerant, referre desissent, universis visum unanimiter parique consensu, tam ex sacrosancto ordine episcoporum quam et laicorum viros nobiles, prudentes, benevolos deligant, per quos, quae pater inter illos statuerat, et quae post obitum patris ab illo passi sint, mandent, insuper obsecrent, ut memor sit Dei omnipotentis et concedat pacem fratribus suis universaeque ecclesiae Dei; cederet cuique, quod patris fratrisque consensu iuste debebatur; insuper etiam, ut iustis precibus acquiesceret, offerrent illi quicquid absque equis et armis in universo exercitu habere videbantur.

Et si his monitis obsecrationibusque acquiescere vellet, placere; sin aliter, aiebant se divino ex munere suffragium absque dubio sperare posse, si omne quod iustum est vellent et hoc fratri offerre humiliter studerent. Quae quoniam merito rata videbantur, protinus expleta sunt.

10. Sed haec veluti pro nihilo ducta Lodharius sprexit, per suos se nihil absque proelio velle mandavit confestimque obviam Pippino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, iter arripuit. Quod cum ocius didicissent Lodhuwicus et sui, supra modum rem graviter ferentes - erant enim undique graviter tam itineris longitudine quam et proeliis variisque difficultatibus et maxime equorum inopia attriti -, verumtamen, quamquam se haec ita haberent, timentes, ne forte, si ab auxilio fratris frater deficeret, posteris suis indignam memoriam reliquissent; quod quidem ne facerent, elegerunt omni penuriae, etiam, si oporteret, morti potius subire quam nomen invictum amittere. Quam ob rem ex eadem magnanimitate maestitia oppressa, invicem se adhortantes, gaudentes velociterque, ut Lodharium cito consequi possent, ibant. Cumque atque insperate propter urbem Alciodorensis uterque exercitus alter ab altero videretur, confestim Lodharius verens, ne forte fratres sui absque dilatione supra se irruere vellent, armatus castra aliquantulum excessit. Quod quoniam fratres sui facere illum cognoverunt, quosdam castra metantes relinquunt, quosdam secum armatos assumunt et absque dilatione obviam procedunt; missos invicem mittunt pacemque sub nocte componunt. Castra autem ab invicem distabant plus minus leuvas tres, et intereat paucula palus saltusque; ac per hoc erat utrique ad alterum difficilis accessus. Quapropter aurora delucescente Lodhuwicus et Karolus ad Lodharium mittunt, mandant sibi valde displicere, quod illis pacem absque proelio denegaverat; quod etiam, quoniam vellet, et absque qualibet fraude, si fieri deberet, esset. Et primum quidem ieiuniis ac votis Deum invocent, deinde, si ille transire ad illos voluisset, locum transeundi se daturos promittunt, ut omni impedimento sua suorumque ex parte ablato absque qualibet occulta deceptione congregari possent; quae et, si vellet, sacramento firmare praeceperunt, at si nollet, ut eadem illis concederet atque firmare rogaret, petunt. Is autem more solito per suos se responsurum promisit et, ut legati regressi sunt, protinus obviam iter arripuit ac locum, quo castra poneret, Fontaneum petit.

Eadem autem die fratres sui post Lodharium iter accelerantes antecesserunt illum et propter vicum quod Tauriacus dicitur castra posuerunt. Crastina die exercitus praeparati ad proelium castra aliquantulum excesserunt. Praemittentes Lodhuwicus ac Karolus Lodharium mandaverunt, ut memor esset fraternae condicionis, sineret ecclesiam Dei et universum populum Christianum pacem habere, concederet illis regna a patre suo consensu concessa, haberet sua sibi non merito, sed sola misericordia a patre illi relicta. Et in munere offerebant illi quicquid in universo exercitu absque armis et equis habere videbantur; at si id nollet, cedebant illi uterque portionem regni, alter usque Carbonarias, alter vero usque Rhenum; quod et si renueret, universam Franciam aequa lance dividerent, et quicquid horum vellet suae condicionis esset. Ad quod Lodharius more solito per suos se quicquid placeret notare respondit, mittensque per praesens Drogonem, Hugonem et Hegibertum mandat non illos aliquid tale antea illi mandasse, ad quod considerandum spatium habere se velle aiebat; re autem vera Pippinus non venerat, illum hac dilatione exspectare volebat. Verumtamen Ricuinum, Hirmenaldum et Fredericum sacramento firmare praecepit,

quod pro nulla re alia has indutias peteret, praeter quod commune profectum tam illorum quam et universae plebis, sicut iustitiam inter fratres et populum Christi oportebat, quaerere volebat. Quo quidem sacramento Lodhuwicus et Karolus creduli effecti ea die et in crastinum, insuper etiam usque in horam secundam diei tertii, quod evenit VII. Kal. Iulii, pace utrorumque ex parte iure iurando firmata, ad castra redeunt, missam vero sancti Iohannis in crastinum celebraturi. Pippino quoque eadem die Lodharius in supplementum recepto mandat fratribus suis, quoniam scirent illi imperatoris nomen magna auctoritate fuisse impositum, ut considerent, quatenus eiusdem nominis magnificum posset explere officium; insuper autem haut se libenter utrorumque quaerere profectum. Interrogati autem, si quiddam horum, quae mandaverant, recipere vellet vel si quamlibet finitivam sententiam illis mandasset, nihil sibi horum fuisse iniunctum responderunt. Quam ob rem cum omnis spes iustitiae ac pacis sua ex parte ablata videretur, mandant illi, si melius non invenisset, aut reciperet unum horum, quae illi mandaverant, aut nosset illos in crastinum - quod contigit, sicut praefatum est, VII. Kal. Iulii hora videlicet diei secunda, ad omnipotentis Dei iudicium, quod illis absque illorum voluntate mandaverat, esse venturos. Quae quidem Lodharius solito more insolenter sprexit et visuros se; quid agere deberet, respondit.

Dum haec super Ligerim iuxta Sanctum Fludualdum consistens scriberem, eclipsis solis hora prima feria tertia, XV. Kal. Novembris in Scorpione contigit. His ita omissis diluculo Lodhuwicus et Karolus consurgunt, verticem montis castrae Lodharii contigui cum tertia, ut videtur, exercitus parte occupant adventumque eius et horam secundam, ut sui iuraverant, exspectant. Cumque utrumque adesset, proelium super rivolum Burgundionum magno certamine committunt. Et Lodhuwicus quidem ac Lodharius in loco qui Brittas dicitur strenue confligunt; quo superatus Lodharius terga vertit. Pars autem exercitus, quam Karolus in loco qui Fagit vulgo dicitur excepit, protinus fugit; pars vero, quae in Solennat Adhelardum ceterosque, quibus haud modicum supplementum Domino auxiliante praebui, appetiit, strenue confligit; quo et utrique vicerunt, sed novissime omnes a parte Lodharii fugerunt.

Qua finem primi certaminis dedit Lodharius, terminetur liber secundus.

Quoniam sinistrum me quiddam es genere nostro ut audiam pudet, referre praesertim quam maxime piget; quam ob rem imperio haudquaquam malivole contempto, ut finis optatus libri secundi adfuit, per omnia finire hoc opus animus decrevit; sed ne forte quilibet quocumque modo deceptus res nostro in tempore gestas, praeterquam exactae sunt, narrare praesumat, ex his quibus interfui tertium libellum ut adderem acquievi.

1. Proelio quidem, uti praefatum est, strenue peracto, quid de palantibus peragere deberetur, Lodhuwicus et Karolus in eodem campo deliberare coeperunt. Et quidam ira correpti persequi hostes suadebant, quidam autem, et maxime reges, miserantes fratris plebisque et, ut iudicio Dei et hac plaga repressi ab iniqua cupiditate respiscerent, et Deo donante deinceps unanimes in vera iustitia devenirent, piis visceribus solito more optabant. In quo negotio Dei omnipotentis misericordia ut praestolarentur, suadebant. Quibus cetera multitudo assentientes a proelio et praeda discesserunt et fere mediante die ad castra redeunt, quid deinceps consultius acturum videretur, deliberaturi. Fuit quidem ingens numerus praedae et ingens caedes et insuper admirabilis, immo et merito notabilis misericordia tam regum quam et universorum. Nam diversis pro rebus diem dominicum inibi acturos se deliberarunt. In quo missa peracta amicos et inimicos, fideles et infideles pariter sepulturae tradebant, plaga correptos ac semivivos eodem modo pro viribus ex animo refovebant. Post hos qui fuga evaserant miserunt offerentes, si reverti sana fide vellent, omnia delicta remitti. Post haec reges populique super fratre populoque Christiano dolentes percontari episcopos coeperunt, quid agere super hoc negotio deberent. Quam ob rem unanimes ad concilium omnes episcopi confluunt, inventumque in conventu publico est, quod pro sola iustitia et aequitate decertaverint, et hoc Dei iudicio manifestum effectum sit, ac per hoc immunis omnis Dei minister in hoc negotio haberi, tam suasor quam et effector, deberetur; at quicumque consciens sibi aut ira aut odio aut vana gloria aut certe quolibet vitio quiddam in hac expeditione suasit vel gessit, esset vere confessus secreta delicti et secundum modum culpae diiudicaretur; verumtamen in veneratione ac laude tantae declarationis iustitiae pro remissione delictis mortuorum fratrum suorum - in eo, quod imperfecti peccatis intervenientibus se noverant, ut in multis volentes nolentesque delinquebant - ut suo adiutorio ab his exuti liberarentur; insuper autem uti hactenus in iustitia adiutor et protector illis Deus exstitit, ita ut deinceps ubique exsisteret; proque his omnibus triduanum ieiunium inventum immoque libenter ac celebre celebratum est.

2. His ita rebus peractis Lodhuwicus, ut Rhenum peteret, decrevit, Karolus autem diversis pro rebus et maxime propter Pippinum, ut illum sibi subdere studeret, in Aquitaniam ut proficisceretur, ratum duxit. Nam Bernardus dux Septimaniae, quamquam a loco praedicti proelii plus minus leuvas tres defuerit, neutri in hoc negotio supplementum fuit; victoriam autem ut Karoli esse didicit, filium suum Willelmum ad illum direxit et, si honores, quos idem in Burgundia habuit, eidem donare vellet, ut se illi commendaret, praecepit. Insuper iactabat se posse nec non et



aiebat, quod Pippinum una cum suis Karolo foedere, quo valeret, subdere vellet. Quam legationem benigne excepit et, sicut postulaverat, per omnia concessit, monens, ut de Pippino et suis quod promiserat, in quantum posset, ut perficeretur, operam daret. Cumque adversa undique propulsa viderentur, ac spes prosperitatis cuique hinc inde faveret, Lodhuwicus cum suis Rhenum petiit, Karolus vero una cum matre Ligerim adiit. Res autem publica inconsultius, quam oporteret, omissa; quo quemque voluntas rapuit, perfacile omissus abscessit. Quod quidem Pippinus audiens paulo ante desideratum cum illo foedus inire distulit. Bernardus quidem ad illum venit, sed, ut illi se commendaret, minime acquievit. Quidam tamen a Pippino desciverunt, et hoc tantum praefata expeditio Karolo profuit, quod illos sibi foederatos recepit. Interea Adhelardus ceterique, quos Karolus ad Francos direxerat scire cupiens, si ad illum reverti vellent, Carisiacum venientes, quo illi ut missos dirigeret mandaverant, perpaucos obviam habuerunt; qui hoc dicebant, si idem Karolus ad praesens esset, ad illum venire minime differrent; aliter autem nescire aiebant, utrum viveret an non. Iactaverant enim hi qui partis Lodharii sentiebant in proelio Karolum cecidisse, Lodhuwicum vulneratum et fuga lapsum abisse. Quapropter inconsultum aiebant in incertis rebus aliquod foedus cum quolibet inire debere. At Guntboldus ceterique coadunati supra praefatos Karoli missos irruere se simulabant, et utique fecissent, si ausi essent. Quapropter ad Karolum Adhelardus et ceteri miserunt mandantes, ut, quantocius posset, venire satageret, quatenus et illis adiutorium praeberet et, si Franci, uti aiebant, ad illum venire vellent, scire posset. Ipsi vero Parisiacam civitatem adeunt adventum Karoli praestolaturi. Quod cum Karolo nuntiaretur, protinus his in partibus iter direxit. Ad Sequanam autem ut pervenit, Adhelardum una cum ceteris in Spedonna obviam habuit, et quamquam propter conventum, quod cum fratre in Lingonicam urbem Kal. Sept. condixerat, quoniam imminabat, anxius esset, ratum duxit, ut saltem citato cursu per urbem Belvacensem ac deinde per Compendium et Suessionis, hinc per Remensem et Cadelonensem Lingonicam peteret urbem, quatenus eo tenore id, quod cum fratre statuerat, observare studeret et, si quilibet e Francis ad illum venire vellet, posset. Franci vero eandem paucitatem, quam et Aquitania spreverant, spernentes variis fictionibus illi se per praesens subdere distulerunt. Quod ut Karolus cognovit, praefatum iter accelerare coepit ... Remensem urbem petiit; quo cum venisset, nuntium recepit, quod Lodhuwicus ad conventum, quod in Lingonicam urbem condixerant, venire non posset, eo quod Lodharius in regnum illius hostili manu irruere vellet; mandaverant etiam Huc avunculus eius nec non et Gislebertus comes Mansuariorum, si in illis partibus isset, ad illum se una cum ceteris esse venturos.

3. Ergo tam pro fratris adiutorio quam et, ut hos, si ad illum venire vellent, recipere posset, ad Sanctum Quintinum iter direxit. Quo quidem Hugonem, sicut mandaverat, obviam habuit et inde in partes Traiecti iter direxit. Lodharius autem, ut haec audivit, omisso Lodhuwico, quem paulo ante persequi statuerat, a Warmatia ad conventum, quod Teotonisvillam indixerat, iter arripuit et, qualiter super Karolum irrueret, intendit. Quod so cum Karolus in Wasiticum didicisset, Hugonem et Adhelardum ad Gislebertum una cum ceteris, quos foedere, quo valerent, sibi adnecterent, direxit. Rabanonem etiam ad Lodhuwicum dirigens mandat, qualiter pro suo adiutorio illis in partibus isset, quod Lodharius audiens, illo omisso, supra se cum omnibus copiis ire pararet, monetque ac deprecatur, ut, qantocius posset, solito more adiutorium illi

praebere studeret. Insuper autem Exemenonem venerabilem episcopum ad Lodharium direxit, solito more humiliter praecepit, ut roget, ut obsecret, meminerit, quod frater filiulusque eius sit; meminerit, quae pater inter illos statuerat, quae tam is quam et sui inter illos iuraverant; meminerit, quod novissime indicio Dei inter illos voluntas eius declarata sit; et si horum omnium recordari nolit, cesset a persecutione sanctae Dei ecclesiae, misereatur pauperum, viduarum orfanorumque et regnum a patre suo consensu sibi datum ut ingrediatur omittat, ne forte iterato populum Christianum ad caedem mutuam confluere compellat.

Et his ita compositis idem ipse Parisiacam urbem adiit tam fratris sui Lodhuwici adventum quam et ceteros fideles suos, quos undique convocaverat, praestolaturus. Quod cum Lodharius didicisset, ad eandem urbem iter direxit; habebat enim tam Saxonum quam et Austrasiorum nec non et de Alamannis partem haud modicam secum horumque auxilio praemaxime confisus ad Sanctum Dionysium venit. Reppererat autem inibi naves plus minus XX; insuper quoque Sequana, uti mense Septembrio solet, exigua erat transitumque perfacilem praestabat. Quam ob rem iactabant se sui facile transire posse et hoc utique simulabant se maxime velle. Ergo Karolus quosdam Parisium et Milidonem custodiri praecepit, quosdam vero, ubicumque vada vel navigia esse noverat, residere fecit; ipse vero e regione Sancti Dionysii iuxta Sanctum Fludualdum castra in meditullio posuit, ut et Lodhario, si ita oporteret, transitum prohibere aut, si alicubi super suos irruere vellet, illis succurrere posset. Et ut perfacile dinosceretur, quo in loco adiutorium praebere deberet, more maritimo signa in locis congruis atque custodias deputavit. Insuper autem Sequana - mirabile dictu - dum nos nusquam eo in tempore infra duos menses pluvias esse novimus, repente aere sereno tumescere coepit ac sponte his in locis vada ubique prohibuit. Cumque haec ita se haberent, cernens Lodharius transitum inibi undique sibi prohibitum, eo tenore cum Karolo pacem inire se velle mandavit, ut foedus, quod Karolus cum fratre suo Lodhuwico sacramentis firmaverat, omisisset, et ille econtra foedus, quod cum Pippino nepote suo similiter sacramentis firmaverat, omitteret; et haberet Karolus a Sequana partem occidentalem absque Provinciam et Septimaniam, essentque quasi pace perpetua foederati. Re autem vera sic se utrosque facilius decipere posse putabat omneque imperium hac arte invadere sperabat. At Karolus respondit se foedus, quod cum fratre suo necessitate coactus inierat, minime violare velle; insuper ut a Mosa usque Sequanam regnum, quod pater illi dederat, nequaquam congruum videretur, ut illi omitteret, praesertim cum tanta nobilitas illum secuta de his regionibus esset, quos in sua fide deceptos esse minime oporteret. Quam ob rem, quoniam hiems aderat, haberet quique honores, quos pater illis dederat, si vellet, mandavit, donec veris tempore, vellent cum paucis, vellent cum omni comitatu, omnes convenient et, ni statutis aut statuendis concordia concurrat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quae quidem Lodharius more solito sprexit et a Sancto Dionysio obviam Pippino, qui ab Aquitania ad illum veniebat, Senones iter direxit; Karolus autem econtra, qualiter Lodhuvicum in adiutorium suum recipere posset, intendit.

4. Interea nuntiatum est Karolo, quod soror sua Hildigardis Adelgarium quendam ex suis captum haberet et in urbe Laudunensi una secum custodiri fecisset. Qua pro re expeditos ad hoc opus Karolus sibi delegit ac protinus decedente iam die his in partibus festinus perrexit; distabat enim urbs eadem plus minus leuvas XXX. Per

totam siquidem noctem iter faciens impediante gelu praevalido, hora fere diei tertia insperate subito sorori et civibus cum infinita multitudine nuntiatur Karolus adesse, omnisque urbs militibus circumdata fore. Quo quidem nuntio exterriti, quoniam nec evadendi nec aderat spes moenia tuendi, pacem sub una eademque nocte petunt, Adelgarium confestim reddunt et, ut se urbemque absque conflictu in crastinum dedant, cum omni subiectione promittunt. Dum haec agerentur, milites moram huius rei graviter ferentes, insuper laboris taedio, quod praeteritae noctis passi fuerant, permoti in excidium urbis ruere undique coeperunt; essetque procul dubio protinus flammis rapinisque tradita, ni idem Karolus misericordia super ecclesiarum Dei sororisque necnon et populi Christiani permotus minis atque blanditiis horum animos maximo labore compescere studuisset. Quos cum abscedere fecisset, ut soror postulaverat, concessit et Salmonciacum ab urbe discessit. Crastina quoque die Hildigardis ad fidem suam, sicut sponderat, venit urbemque illaesam et absque conflictu sui iuris restituit. Sororem suam siquidem Karolus benigne excepit et omnia quae hactenus erga illum deliquerat illi donavit, multisque verbis blande illam allocutus omnem benignitatem, quam frater sorori debet, si deinde benevola erga illum esse vellet, ei perhumane promisit ac quo voluit illam abire concessit. Urbi sua iura statuit et ad suos, quos circa Parisium omiserat, his ita peractis rediit.

Senones autem Lodharius Pippino recepto, quid agere deberet, anxius erat. Nam Karolus partem exercitus Sequanam traiecit et in saltum qui Pertica vulgo dicitur direxit. Quos quoniam Lodharius vel se vel suos impedire timuit, primum insectari statuit. Qua quidem re sperabat se et hos facile delere et hoc terrore sibi residuos subiugare maximeque Nominoium Britannorum ducem suo subdere dominatui posse. Sed frustra haec omnia expleturus adiit, dum nihil horum ad effectum perduxit. Nam exercitus Karoli omnis ab eo salvus evasit, insuper ex suis neminem recepit; et Nomenois omnia quae illi mandaverat insolenter sprexit. His ita se habentibus repente nuntium accepit, quod Lodhuwicus et Karolus una cum ingenti exercitu alter alteri studeret. Cumque se undique rebus adversis circumsaeptum videret, maximo ambitu inaniter expleto a Turones redire coepit et fatigato exercitu tandem fessus Franciam pervenit. Pippinus autem, quod se illi sociaverat, paenitudine correptus Aquitaniam se recepit. Interea audiens Karolus, quod Otgarius Maguntiae sedis episcopus una cum ceteris Lodhuwico fratri suo transitum ad se prohibuisset, iter per Tullensem urbem accelerans Elisazam ad Zabarnam introiit; quod cum Otgarius didicisset, una cum ceteris litore relicto abiit, et quo quisque valuit ocius se abdidit.

5. Ergo XVI. Kal. Martii Lodhuwicus et Karolus in civitate quae olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgo dicitur, convenerunt et sacramenta, quae subter notata sunt, Lodhuwicus Romana, Karolus vero Teudisca lingua iuraverunt. Ac sic ante sacramentum circumfusam plebem, alter Teudisca, alter Romana lingua allocuti sunt. Lodhuwicus autem, quia maior natu, prior exorsus sic coepit: „Quotiens Lodharius me et hunc fratrem meum post obitum patris nostri insectando usque ad internecio nem delere conatus sit, nostis. Cum autem nec fraternitas nec Christianitas nec quodlibet ingenium, salva iustitia ut pax inter nos esset, adiuvere posset, tandem coacti rem ad iudicium omnipotentis Dei detulimus, ut suo nutu, quid cuique deberetur, contenti essemus. In quo nos, sicut nostis, per misericordiam Dei victores exstitimus, is autem victus una cum suis quo valuit secessit. Hinc vero fraterno

amore correpti nec non et super populum Christianum compassi persequi atque delere illos nolimus, sed hactenus sicut et antea, ut saltem deinde cuique sua iustitia cederetur, mandavimus. At ille post haec non contentus iudicio divino, sed hostili manu iterum et me et hunc fratrem meum persequi non cessat, insuper et populum nostrum incendiis, rapinis caedibusque devastat; quam ob rem nunc necessitate coacti convenimus et, quoniam vos de nostra stabili fide ac firma fraternitate dubitare credimus, hoc sacramentum inter nos in conspectu vestro iurare decrevimus. Non qualibet iniqua cupiditate illecti hoc agimus, sed ut certiores, si Deus nobis vestro adiutorio quietem dederit, de communi profectu simus. Si autem, quod absit, sacramentum, quod fratri meo iuravero, violare praesumpsero, a subditione mea nec non et a iuramento, quod mihi iurastis, unumquemque vestrum absolvo'.

Cumque Karolus haec eadem verba Romana lingua perorasset, Lodhuwicus, quoniam maior natu erat, prior haec deinde se servaturum testatus est: 'Pro Deo amur et pro Christian poblo et nostro commun saluament, d'ist di in auant, in quant Deus sauir et podir me dunat, si saluarai eo cist meon fradre Karlo et in aiudha et in cadhuna cosa, si cum om per dreit son fradra salvar dift, in o quid il mi altresi fazet; et ab Ludher nul plaid numquam prindrai, qui meon uol cist meon fradre Karle in damno sit.' Quod cum Lodhuwicus explesset, Karolus Teudisca lingua sic haec eadem verba testatus est: 'In Godes minna ind in thes Christianes folches ind unser bedhero gealtnissi, fon thesemo dage frammordes, so fram so mir Got geuuizci indi mahd furgibit, so haldih tesan minan brudher, soso man mit rehtu sinan brudher scal, in thiu thaz er mig sosoma duo; indi mit Ludheren in nohheiniu thing ne gegango, zhe minan uuillon imo ce scadhen uuerhen'. Sacramentum autem, quod utrorumque populus, quique propria lingua, testatus est, Romana lingua sic se habet: 'Si Lodhuuigs sagrament, que son fradre Karlo iurat, conservat, et Karlus meos sendra de suo part lo fraint, si io returnar non l'int pois, ne io ne neÂ,ls, cui eo returnar int pois, in nulla aiudha contra Lodhuuuig nun li iuer'. Teudisca autem lingua: 'Oba Karl then eid, then er sinemo brudher Ludhuuuige gesuor, geleistit, indi Ludhuuig min herro, then er imo gesuor, forbrihchit, ob ih inan es iruuenden ne mag, noh ih noh thero nohhein, then ih es iruuenden mag, uuidhar Karle imo ce follusti ne uuirdhit'. Quibus peractis Lodhuwicus Rhenotenus per Spiram et Karolus iuxta Wasagum per Wizzunburg Warmatiam iter direxit.

Aestas autem, in qua praefatum exactum est proelium, fuit frigida nimis, et omnes fruges persero collectae sunt; autumnus vero et hiems naturalem ordinem peregerunt. Ac eadem die, qua praedicti fratres nec non et primores populi praefatum pepigere pactum, subsequente gelu nix multa cecidit. Stella cometis mense Decembrio et Ianuario nec non et Febuario usque praelatum conventum apparuit, per Pisces centrum ascendit et inter signum, quod a quibusdam Lyra, a quibusdam vero Andromeda vocatur, et Arcturum obscuriorem hoc concilio expleto defecit. Haec paucis de temporum siderisque serie delibatis ad historiae tramitem revertamur.

Cumque Warmatiam venissent, missos deligunt, quos protinus ad Lodharium et in Saxoniam mittunt; et horum nec non et Karlemanni adventus inter Warmatiam et Magonciacum praestolaretur, statuunt.

6. Hic quoque haudquaquam ab re, quoniam iucunda ac merito notanda videntur, de qualitate horum regum et unanimitate, qua interea deguerint, pauca referre libet. Erat

quidem utrisque forma mediocris cum omni decore pulchra et omni exercitio apta; erat uterque audax, largus, prudens pariter et eloquens; omnemque praemissam nobilitatem excedebat fratrum sancta ac veneranda concordia. Nam convivia erant illis paene assidua, et, quodcumque pretium habebant, hoc alter alteri perhumane dabat. Una domus erat illis convivii et una somni; tractabant tam pari consensu communia quam et privata; non quicquam aliud quilibet horum ab altero petebat, nisi quod utile ac congruum illi esse censebat. Ludos etiam hoc ordine saepe causa exercitii frequentabant. Conveniebant autem quocumque congruum spectaculo videbatur, et subsistente hinc inde omni multitudine, primum pari numero Saxonorum, Wasconorum, Austrasiorum, Brittonorum, ex utraque parte, veluti invicem adversari sibi vellent, alter in alterum veloci cursu ruebat. Hinc pars terga versa protecti umbonibus ad socios insectantes evadere se velle simulabant, at versa vice iterum illos, quos fugiebant, persequi studebant, donec novissime utrique reges cum omni iuventute ingenti clamore equis emissis astilia crispantes exsiliunt et nunc his, nunc illis terga dantibus insistunt. Eratque res digna pro tanta nobilitate nec non et moderatione spectaculo; non enim quispiam in tanta multitudine ac diversitate generis, uti saepe inter paucissimos et notos contingere solet, alicui aut laesionis aut vituperii quidpiam inferre audebat.

7. His ita se habentibus Karlemannus cum ingenti exercitu Baioariorum et Alamannorum ad patrem suum Mogontiam venit. Bardo vero, qui in Saxoniam missus fuerat, similiter fecit nuntians, quod Saxones mandata Lodharii sprevisset et, quicquid Lodhuwicus et Karolus illis praeciperent, libenter id facere vellent. Lodharius quoque missos, qui ad se directi fuerant, inconsulte audire distulit, quod tam Lodhuwicus quam et Karolus nec non et universus exercitus aegre tulerunt et, qualiter idem ipsi ad illum pervenire possent, intendunt. Ergo XVI. Kal. Aprilis illis in partibus viam dirigunt, et Karolus quidem per Wasagum iter difficile ingressus, Lodhuwicus vero terra Rhenoque per Bingam, Karlemannus autem per Einrichi ad Conflentim in crastinum hora fere diei sexta venerunt; protinusque ad Sanctum Castorem orationis causa pergunt, missam audiunt ac deinde idem reges armati naves conscendunt et Mosellam ocuis traiciunt. Quod cum Otgarius Mogontiae sedis episcopus, Hatto comes, Herioldus ceterique viderunt, quos Lodharius ob hoc inibi reliquerat, ut illis transitum prohibuissent, timore perterriti litore relicto fugerunt. Lodharius quoque, ut fratres suos Mosellam transisse in Sinciaco didicit, confestim et ipse abire et regno et sede non destitit, donec se super ripam Rhodani cum paucis, qui se sequi deliberaverant, ceteris omissis excepit.

Qua finem secundi certaminis dedit Lodharius, terminetur liber tertius.

Non solum me, uti praefatum est, ab hoc opere narrationis quiescere delectat, verum etiam, quo ab universa re publica totus secedam, mens variis querimoniis referta, assiduis meditationibus anxia versat. Sed quoniam me de rebus universis fortuna hinc inde iunxit validisque procellis maerentem vehit, qua portum ferar, immo vero penitus ignoro. Interim autem si aliquod tempus otiosum repperero, quid oberit, si, uti iussum est, facta principum procerumque nostrorum stili officio memoriae mandare curabo? Ergo huic rerum operi quarto assistam et, si in ceteris rebus futuris prodesse nequivero, saltem in his erroris nubeculam proprio labore posteris detergam.

1. Usque Lodhuwicus et Karolus Lodharium a regno suo abisse certis indiciis cognovere, Aquis palatium [quod tunc sedes prima Franciae erat] petentes, sequenti vero die, quid consultius de populo ac regno a fratre relicto agendum videretur, deliberaturi. Et quidem primum visum est, ut rem ad episcopos sacerdotesque, quorum aderat pars maxima, conferrent, ut illorum consultu veluti numine divino harum rerum exordium atque auctoritas proderetur. Et hoc illis, quoniam merito ratum videbatur, commissum est. Quibus ab initio gesta Lodharii considerantibus, quomodo patrem suum regno pepulerit, quoties populum Christianum periurum sua cupiditate effecerit, quoties idem ipse hoc, quod patri fratribusque iuraverat, frustraverit, quoties post patris obitum fratres suos exhereditare atque delere temptasset, quota homicidia, adulteria, incendia omnigenaque facinora universalis ecclesia sua nefandissima cupiditate perpessa sit, insuper autem neque scientiam gubernandi rem publicam illum habere nec quoddam vestigium bonae voluntatis in sua gubernatione quemlibet invenire posse ferebant. Quibus ex causis non immerito, sed iusto Dei omnipotentis iudicio primum a proelio et secundo a proprio regno fugam illum inisse aiebant. Ergo omnibus unanimiter visum est atque consentiunt, quod ob suam nequitiam vindicta Dei illum eiecerit regnumque fratribus suis melioribus se iuste ad regendum tradiderit. Verumtamen haudquaquam illis hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, utrum illud per vestigia fratris eiecti an secundum Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem, in quantum nosse ac posse Deus illis concederet, secundum suam voluntatem se et suos gubernare et regere velle aiunt: 'Et auctoritate divina, ut illud suscipiatis et secundum Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur atque praecipimus'. Hinc autem uterque illorum duodecim e suis ad hoc opus elegit, quorum unus exstiti; et sicut illis congruum, ut inter illos hoc regnum divideretur, visum est, contenti sunt; in qua divisione non tantum fertilitas aut aequa portio regni, quantum affinitas et congruentia cuiusque aptata est. Evenitque Lodhuwico omnis Frisia et cetera <...>.

Karolo vero <...>

2. Quibus peractis quique illorum e populo, qui se secutus est, suscepit ac sibi, ut deinceps fidelis esset, sacramento firmavit. Et Karolus quidem Mosam regnum suum ordinaturus traiecit, Lodhuwicus vero Saxonorum causa Coloniam petiit. Quorum casus quoniam maximos esse perspicio, praetereundos minime puto. Saxones quidem, sicut universis Europam degentibus patet, Karolus Magnus imperator ab

universis nationibus non immerito vocatus ab idolorum vana cultura multo ac diverso labore ad veram Dei Christianamque religionem convertit. Qui ab initio tam nobiles quam et ad bella promptissimi multis indiciis persaepe claruerunt. Quae gens omnis in tribus ordinibus divisa consistit: sunt etenim inter illos qui edhilingui, sunt qui frilingi, sunt qui lazzi illorum lingua dicuntur; Latina vero lingua hoc sunt: nobiles, ingenuiles atque serviles. Sed pars illorum, quae nobilis inter illos habetur, in duabus partibus in dissensione Lodharii ac fratrum suorum divisa, unaque eorum Lodharium, altera vero Lodhuwicum secuta est. His ita se habentibus, cernens Lodharius, quod post victoriam fratrum populus, qui cum illo fuerat, deficere vellet, variis necessitatibus adstrictus, quocumque et quomodocumque poterat, subsidium quaerebat. Hinc rem publicam in propriis usibus tribuebat, hinc quibusdam libertatem dabat, quibusdam autem post victoriam se daturum promittebat, hinc etiam in Saxoniam misit frilingis lazzibusque, quorum infinita multitudo est, promittens, si secum sentirent, ut legem, quam antecessores sui tempore, quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet. Qua supra modum cupidi nomen novum sibi, id est Stellinga, imposuerunt et in unum conglobati dominis e regno paene pulsus more antiquo qua quisque volebat lege vivebat. Insuper autem Lodharius Nordmannos causa subsidii introduxerat partemque Christianorum illis subdiderat, quibus etiam, ut ceteros Christianos depraedarent, licentiam dabat. Igitur metuens Lodhuwicus, ne idem Nordmanni nec non et Sclavi propter affinitatem Saxonibus, qui se Stellinga nominaverant, coniungerent regnumque sibi vindicaturi invaderent et Christianam religionem his in partibus adnullarent: quam ob rem, uti praetulimus, praemaxime <...> adiit et, in quantum valuit, simul et cetera regni sui scandala, ne hoc nefandissimum malum sanctae Dei ecclesiae deveniret, precavit. Quibus expletis Viridunensium civitatem Lodhuwicus per Teotonis villam, Karolus autem per Remensem urbem adeunt, quid deinceps agendum videretur, deliberaturi.

3. Per idem tempus Nordmanni Contwig depraedati sunt, inibique mare traiecto Hamwig et Nordhunnwig similiter depopulati sunt. Lodharius autem, ut se supra ripam Rhodani recepit, navigio eiusdem fluminis fretus inibi resedit; quo undique quos valuit sibi in subsidium attraxit. Verumtamen legatum ad fratres suos dirigens mandat, si sciret, qua fieri posset, primores suos ad illos dirigere vellet de pace deliberaturos. Responsum est, mitteret quos vellet, facile quemlibet scire posse, qua illis deveniret esse; ipsi vero uno eodemque itinere per Tricasinensium Cadhellenensem adeunt urbem. Cumque Miliciacum venissent, Iosippus, Eberhardus, Egbertus una cum ceteris a parte Lodharii ad illos venerunt dicentes, quod Lodharius cognovisset se in Deum et illos deliquisse, nolletque amplius, ut altercatio inter illos et Christianum populum esset; si vellent aliquid illi supra tertiam partem regni propter nomen imperatoris, quod illi pater illorum concesserat, et propter dignitatem imperii, quam avus regno Francorum adiecerat, augere, facerent; sin aliter, tertiam tantummodo partem totius absque Langobardia, Baioaria et Aquitania illi concederent; regeretque quisque illorum Deo favente portionem regni sui, prout melius posset; frueretur alter alterius subsidio ac benevolentia; concederent pacem et leges invicem sibi subiectis, essetque inter illos Deo auctore pax pacta perpes.

Quod cum Lodhuwicus et Karolus audissent, et illis plebique universae perplacitum

esset, in unum una cum primoribus coeunt ac, quid de talibus acturi essent, gratanti animo conferunt. Aiebant se hoc in exordio dissensionis voluisse et, quamquam peccatis intervenientibus proficuum esse non posset, saepe hoc illi mandatum fuisse. In eo tamen omnipotenti Deo gratias referebant, cuius tandem ope adiuti hoc promeruerant, ut frater illorum, qui semper pacem atque concordiam spreverat, Deo largiente tunc illa petebat. Verumtamen solito more ad episcopos sacerdotesque rem referunt, ut quocumque divina auctoritas id vertere vellet, nutu ipsius libenti animo praesto adessent. Quibus cum undique, ut pax inter illos fieret, melius videretur, consentiunt, legatos convocant, postulata concedunt. Cumque in divisione regni quattuor dies vel eo amplius morarentur, tandem visum est, ut inter Rhenum et Mosam usque ad exortum Mosae ac deinde ad exortum Saugonnae et sic per Saugonnam usque ad confluentem Rhodani et sic deinde per Rhodanum usque in mare Tyrrenum omnes videlicet episcopatus, abbatias, comitatus, fisca cis Alpibus consistentia absque ... illi in parte regni tertia offerrent, et, si hanc recipere renuat, quid cuique debeatur, armis decernant. Quod quidem, quamquam ultra quod iustum ac congruum, ut quibusdam videbatur, inventum fuerit, per Conradum, Cobbonem, Adhelhardum et ceteros mandatum est; ipsi vero interim, donec qui missi fuerant reverterentur, in eodem loco esse se decernunt responsum Lodharii praestolaturi. Qui cum ad Lodharium venissent, reppererunt illum paululum minus solito more animatum. Aiebat enim se non esse contentum in eo, quod fratres sui illi mandaverant, quia aequa portio non esset, querebaturque insuper suorum, qui se secuti sunt, causam, quod in praefata parte, quae illi offerebatur, non haberet, unde illis ea quae amittebant restituere posset. Quam ob rem - ignoro, qua fraude decepti hi qui missi fuerant augent illi supra definitam partem usque in Carbonarias; insuper, si hoc usque ad tempus, quod illis pariter conveniret, reciperet, iurant illi, quod tunc fratres sui iure iurando, prout aequius possent, regnum omne absque Langobardia, Baioaria et Aquitania in tribus partibus dividerent, essetque super his sua electio, ut quam vellet harum acciperet, ac diebus vitae suae eandem illi concederent in eo, quod ille illis similiter faceret; et haec omnia, si aliter non crederet, sacramento sic se facturos promitterent. Iurat etiam Lodharius sic se velle ac sua ex parte sic perficere in eo, quod fratres sui, uti missi illorum tunc illi iuraverant, adimplerent.

4. Igitur mediante Iunio, feria videlicet quinta, propter civitatem Madasconis in insula quae Ansilla dicitur cum aequo numero primorum Lodharius, Lodhuwicus et Karolus conveniunt et hoc sacramentum mutuo sibi iuraverunt, videlicet ut ab ea die et deinceps invicem sibi pacem conservare deberent, et ad placitum, quod fideles illorum inibi statuissent, regnum omne absque Langobardia, Baioaria et Aquitania cum sacramento, prout aequius possent, in tribus partibus sui dividerent, electioque partium eiusdem regni esset Lodharii; et quique illorum partem, quam quisque acciperet, cuique deinde omnibus diebus vitae suae conservare deberet in eo si adversus fratres suos frater suus similiter faceret. Quo expleto adhibitisque verbis pacificis pacifice discedunt, ad castra redeunt, in crastinum de ceteris deliberaturi. Quamquam et id aegre vix, tamen effectum est, et usque ad conventum, quod in Kal. Octobris condixerant, pacifice quisque in sua portione, qua vellet, esset.

Et Lodhuwicus quidem Saxoniam, Karolus vero Aquitaniam ordinaturi adeunt, Lodharius autem iam, ut sibi videbatur, de electione regni partium securus Arduennam venatu petit omnesque primores suae portionis populi, qui a se, dum a



regno abiret, necessitate coacti desciverant, honoribus privavit. Lodhuwicus etenim in Saxonia seditiosos, qui se, uti praefatum est, Stellinga nominaverant, nobiliter, legali tamen caede compescuit. Karolus vero in Aquitaniam Pippinum fugavit; quo latitante nihil aliud notabile efficere valuit, praeter quod Warinum quendam ducem ceterosque, qui sibi fidi videbantur, ob custodiam eiusdem patriae inibi reliquit. Insuper Egfridus comes Tolosae e Pippini sociis, qui ad se perdendum missi fuerant, quosdam in insidiis cepit, quosdam stravit. Idemque Karolus ad placitum, quod cum Lodhuwico fratre suo Warmatiam condixerat, iter direxit. Cumque Mettis pridie Kal. Octobris venisset, Lodharium in villa Teotonis repperit, quo ante condictum placitum venerat ac aliter, quam statuerat, residebat. Quam ob rem his, qui a parte Lodhuvici nec non et Karoli propter divisionem regni Mettis residere debuerant, tutum minime videbatur, ut, dum seniores sui in Warmatia et Lodharius in Teotonis villa essent, illi Mettis regnum dividerent. Distat enim Warmatia a Mettis leuvas plus minus LXX, Teotonis autem villa plus minus octo. Occurrebat etiam, quod Lodharius in fratrum deceptione saepe perfacilis promptusque exstiterat, ideoque suam salutem illi credere haudquaquam absque qualibet securitate audebant. Ergo Karolus horum saluti consulens ad Lodharium dirigit, mandat, quoniam aliter, quam convenisset, venerat et erat, si vellet, ut missi fratris sui nec non et sui inibi una cum suis remanerent, daret illi obsides, ut de salute illorum fidus esset; sin aliter, mitteret ille missos suos Warmatiam ad illos, et illi quos vellet obsides illi darent; sin aliter, recederent a Mettis pari spatio; sin etiam et hoc nollet; in meditullio, qua vellet, missi illorum convenissent: non enim se tot nobilium virorum salutem neglegere debere dicebat. Erant quidem octoginta electi ex omni multitudine omni nobilitate praestantes, quorum interitus ni praecaveretur, maximam sibi fratrique suo posse inferre iacturam aiebat. Tum tandem pro commoditate omnium hinc inde visum est, ut Conflentum missi illorum, centum decem videlicet, absque obsidibus convenirent inibique regnum, prout aequius possent, dividerent.

5. Quo scilicet XIII. Kal. Novembris convenientes, ne forte quoddam scandalum inter homines illorum qualibet ex causa oriretur, pars illorum, quae a Lodhuwico nec non et Karolo venerat, orientalem ripam Rheni metantes, quae autem a Lodhario, occidentem, cotidieque ob commune colloquium Sanctum Castorem petierunt. Cumque ad regni divisionem hi, qui a Lodhuwico et Karolo missi fuerant, variis querimoniis accessissent, quaesitum est, si quis illorum totius imperii notitiam ad liquidum haberet. Cum nullus reperiretur, quaesitum est, cur missi illorum illud in transacto spatio non circumissent, et illorum industria imbrevisatum esset; cum et hoc, ut fieret, Lodharium nolle repperissent, aiebant impossibile esse ignorantibus quoddam aequaliter dividere posse. Novissime autem quaesitum est, quoniam sacramento illud, prout aequius ac melius possent nissentque, dividere deberent, si hoc sincere iurare possent, dum scirent, quod nemo ignoranter id facere valeret. Et hoc quoque ad conferendum episcopis commissum. Qui hinc inde in basilica sancti Castoris convenientes, a parte Lodharii aiebant, si in sacramento quilibet deliquisset, hoc expiare posse, ac per hoc melius esset, ut hoc facerent, quam diutius tot rapinas, incendia, homicidia, adulteria ecclesiae Dei pateretur. At contra hi qui a parte Lodhuvici nec non et Karoli erant aiebant, dum neutrum necesse esset, cur in Deum peccare deberent? Aiebant melius esse, ut firmaretur pax inter illos, mitterentque pariter per universum imperium, et imbrevisaretur, ac tum tandem iurare quod certum

est absque periculo aequaliterque dividere posse censebant: sic quoque periuria ceteraque facinora devitare, ni caeca cupiditas impediret, posse firmabant; ac per hoc nec se ledere in sacramento velle nec cuiquam, ut faceret, licentiam dare testabantur. Qua dissentientes quique, qua venerat, ad suos secesserunt. Hinc omnes in eadem domo convenerunt, a parte Lodharii dicentes, quod parati ad sacramentum et ad divisionem, uti iuratum fuerat, essent; at contra a parte Lodhuwici et Karoli similiter se velle, si possent, aiebant; novissime autem, quoniam neuter quod alter volebat absque seniorum suorum auctoritate assentire audebat, statuunt, ut pax inter illos esset, donec scire possent, quid seniores sui horum recipere vellent; et hoc fieri posse in Non. Novembris visum est, usquequo pacis termino constituto discedunt.

Qua quidem die terrae motus magnus per omnem paene hanc Galliam factus est, eademque die Angilbertus vir memorabilis Centulo translatus et anno post decessum eius XXVIII. corpore absque aromatibus indissoluto repertus est. Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotae familiae. Madhelgaudus autem, Richardus et hic una progenie fuere et apud Magnum Karolum merito magni habebantur. Qui es eiusdem magni regis filia nomine Berehta Hartnidum fratrem meum et me Nithardum genuit. Centulo opus mirificum in honore omnipotentis Dei sanctique Richarii construxit, familiam sibi commissam mirifice rexit, hinc vitam cum omni felicitate defunctam Centulo in pace quievit. His paucis de origine mea delibatis ad historiae seriem redire libet.

6. Cum autem, uti praefatum est, reversi quique regi suo quae invenerant nuntiassent, hinc inopia, hinc hieme instante, hinc etiam, quod primores populi degustato semel periculo iterum proelium nolebant, ac per hoc, ut pax inter illos usque in vicesimo die post missam sancti Iohannis firmaretur, assentiunt. Ad quam statuendam hinc inde primates populi Teotonis villam confluunt, iurant, ut ipsi reges inter se interim mutuam pacem servare deberent, et ut nequaquam quolibet modo ommitteretur, ne in eodem conventu, ut aequius possent, omne regnum dividerent, essetque Lodharii, uti iuratum fuerat, partium electio eiusdem regni. Hinc quique qua libuit discessit, et Lodharius Aquis hiematum petiit, Lodhuwicus Baioariam, Karolus autem uxorem ducturus Carisiacum venit. Eodem tempore Mauri a Sigenulfo fratre Sigihardi sibi causa subsidii inducti Beneventum invadunt. Eodem etiam tempore Stellinga in Saxonia contra dominos suos iterum rebellarunt, sed proelio commisso nimia caede prostrati sunt; ac sic auctoritate interiit, quod sine auctoritate surgere praesumpsit. Accepit quidem Karolus, uti praefatum est, in coniugio Hirmentrudem Uodonis et Ingeltrudis filiam et neptem Adelardi. Dilexerat autem pater eius suo in tempore hunc Adelardum adeo, ut, quod idem vellet in universo imperio, hoc pater faceret. Qui utilitati publicae minus prospiciens placere cuique intendit. Hinc libertates, hinc publica in propriis usibus distribuere suasit ac, dum quod quique petebat, ut fieret, effecit, rem publicam penitus adnullavit. Quo quidem modo effectum est, ut in hac tempestate populum qua vellet facile devertere posset, et hac de re Karolus praefatas nuptias maxime iniit, quia cum eo maximam partem plebis sibi vindicare posse putavit. Nuptiis quidem XVIII. Kal. Ianuarii expletis natalem Domini ad Sanctum Quintinum celebre peregit, Valentianas quoque, qui de fidelibus suis inter Mosam Sequanamque causa custodiae remanere deberent, ordinavit; idem vero partibus Aquitaniae una cum coniuge anno DCCCXLIII. incarnationis Domini in hieme iter direxit. Fuit autem eadem hiems praefrigida nimis ac diuturna, langoribus insuper

abundans nec non et agriculturae pecorique apibusque satis incongrua.

7. Hic quique colligat, qua dementia utilitatem publicam neglegat, privatis ac propriis voluntatibus inserviat, dum ex utrisque creatorem adeo offendat, ut etiam omnia elementa eius vesaniae contraria reddat. Quodque huiusmodi exemplis paene adhuc omnibus notis praefacile probaturus accedam. Nam temporibus bonae recordationis Magni Karoli, qui evoluto iam paene anno XXX. decessit, quoniam hic populus unam eandemque rectam ac per hoc viam Domini publicam incedebat, pax illis atque concordia ubique erat, at nunc econtra, quoniam quique semitam quam cupit incedit, ubique dissensiones et rixae sunt manifestae. Tunc ubique abundantia atque laetitia, nunc ubique penuria atque maestitia. Ipsa elementa tunc cuique rei congrua, nunc autem omnibus ubique contraria, uti scriptura divino munere prolata testatur: Et pugnabit orbis terrarum contra insensatos. Per idem tempus eclipsis lunae XIII. Kal. Aprilis contigit. Nix insuper multa eadem nocte cecidit maeroremque omnibus, uti praefatum est, iusto Dei iudicio incussit. Id propterea inquam, quia hinc inde ubique rapinae et omnigena mala sese inserebant, illinc aeris intemperies spem omnium bonorum eripiebat.